



Casparus apud Silesios honestis parentibus natus, atq; à pueris in omni genere literarū & uirtutum optimē educatus fuit. Erat is felicissimo ingenio preditus. Itaq; hinc inde in academijs Italiae & Germanie philosophiaē operā dedit, atq; sibi magnam eruditionem cōparauit, ut uiris doctis, in primis Erasmo Roterodamo, gratissimus extiterit (id quod ex eius Epistolis deprehēdi potest.) cum eius Genethliacon magno artificio carmine descripsérit. nobiles etiam Poētas lato carmine, Historicos uero (ut Iouius inquit) styli grauitate superabat. sed in cumulo honestissime laudis, uti integer uitæ scelerisq; purus, ita tranquilli ani

mi probitate periculosi officij munus feliciter adimplebat. Nam Maximilianiū Ferdinandi Cæsarī filium (qui hodie Imperij habenas magna gloria moderatur) perfectis morib; atq; bonis literis instituit, atq; apud omnes in magna autoritate fuit. Itaq; factum ut non modō apud Germanos, uerū etiam exteras nationes, ob multas corporis & animi uirtutes, innotuerit. Scripsit Casparus Poēmatum lib. 5. deinde Monosticha de uitis regum Italiae, Albano rum, Romanorum, uirorum illustrium, Cæsarum, & summorum pontificum, ad Carolum & Ferdinandum usq;. præterea disticha Cæsarum, atq; Chronicorum mundi epitome. Cum hoc modo Gaspar feliciter in studiorum cursu pergeret, immatura morte multorum desiderio obiit, atq; Cæsaris iuslu honestā sepulturam obtinuit. P. Iouius in elogio uirorum doctorum.